

SANCTISSIMI JEHOVÆ DUCTU!  
DISSERTATIONEM PHYSIOLOGICAM,  
De

CONCOCTIONE  
VENTRICULI,

Consensu

AMPLISS: FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,  
*In Regia Acad. Aboënsi,*  
Sub PRÆSIDIO  
*VIRI Amplissimi & Celeberrimi*

DN. M. PETRI HAHN,

Scient. Nat. Prof. & Bibl. Ord.

Pro solitis in PHILOSOPHIA HONORIBUS  
consequendis,

*Publico, placidoq; eruditorum examini  
submittit.*

SAMUEL DYCANDER

Wiburgo - Carelius.

*In Auditorio Maximo, ad diem 13 Junii,*  
A. CHRISTI, M. DCC. VIII.

---

Exc. JO. WAL,

*Jo. Wal*



# CANDIDO LECTORI.



*Non minus de compositis-  
sima illa formatione  
corporis, quam necessa-  
ria ejusdem conserva-  
tione, sollicitus erat sci-  
entissimus nostri Con-  
ditor ; Est enim corpus nostrum ut & a-  
liorum animalium in perpetuo motu, sem-  
perque aliquid particularum fluidarum  
perditur, idcirco provisum erat, ut sub-  
stantia illa deficiens aut deperdita ipsis a-  
limentis reficeretur atque restauraretur,  
qua premissa concoctione in corporis nu-  
trimentum cedunt. Ne vero cibus in ven-  
triculum delapsus subito efflueret, natura  
eum formavit tortuosum, ut recepta con-  
tinendo mutari, & ad concoquendum  
preparari possent. Quum autem modum  
sci-*

scivisse concoctionis, non parum faciat ad  
intelligendam structuram corporis hu-  
mani, quæ scientia inter præcipuas haud  
infimum tenet locum, idcirco hoc potissi-  
mum argumentum, cujus jucunditate al-  
lectus eram, discutiendum duxi. Tu interim  
CAND. LECT. si quid minus voto esse-  
rit, pro Tuo quo es favore, ignosce; Mibi  
siquidem exilitatis mee conscio, volupe ad-  
modum est a Te corrigi docerique, sicubi a  
vero aberravero.

----- Unum Tritonia Pallas,  
Quem docuit, multaque Insignem  
reddidit arte.



§. I.



um rerum intelligentiæ  
a verborum intellectu  
multum dependeant,  
juxta illud Epicteti:  
*Ἀρχὴ τῆς παιδείσεως ἡ τῶν  
ὀνομάτων ᾤπισκεψις.* Qua-  
propter in ipsius tituli ὀνομαλογία exa-  
minanda paululum immorari lubet, ut  
forte ea, quæ involuta sunt, evolvantur,  
cæteraque deinceps tanto majori radi-  
ent luce. In vocabuli concoctionis nota-  
tione non est ut diu versemur, cum illud  
a præpositione inseparabili con, & ver-  
bo coquere, derivari, etiam illis notum  
esse existimo, qui vel mediocrem in  
Grammatica addiscenda operam posue-  
re. Num vero coquere, incunabula ha-  
beat Hebræa, Græca vel Latina, Philolo-  
gis disceptandum relinquo. Enumeran-  
dis autem variis significationibus, quæ  
ad concoctionis varios usus spectant,  
A lubens

lubens supersedeo, cum hæc a nostro proposito prorsus sint aliena; Nobis solummodo concoctio ventriculi consideranda venit. Faciunt vero Physiologitrium coctionum intra cavitates suas peragendarum mentionem. Primam dicunt fieri in ventriculo, unde & *χύλωνσις* dicitur; Secundam in Corde; Tertiam vero in singulis partibus, nimirum glandulosis & Chylificationi appropriatis. Nomen autem ventriculi originem suam debet primitivo vocabulo Venter, quæ pars corporis sub Diaphragmate sita, a pectore ad pubem sese extendit. Græcis ἡ κοιλία, Germanis der Bauch / Svecis vero Buuf audit. Gaudet ventriculus figura rotundo-oblonga sâsom en Lappstoo. Et constat tribus Tunicis

1. *Membranacea.* 2. *Carnea.* 3. *Glandulosa.*

MEMBRANACEAM TUNICAM tacit Peritoneum quod omnia intestina investit, idque in Hernia (Tarmlopp) rumpitur.

MEDIA CARNEA est, constatque fibris duplici ordine vel decussatim sitis. Hæ fibræ dum a spiritibus influentibus elongan-

gan-



gantur vel abbreviantur, faciunt ad motum ventriculi, ut undique se vel contrahere vel extendere possit, pro quantitate nunc majore nunc minore alimenterum ingestorum.

TUNICA GLANDULOSA består af Körtlar/ cujus glandulæ segregant fermentum ventriculi a sanguine. Hæc Tunica ab interiore parte velamento obducitur bombycino. Swilcket seer uth rått som Sammet. Hactenus nominalia.

§. II.

Antequam vero in re ipsa versari animus est, refert omnium primo de natura & indole ingerendorum seu cibi & potus, nonnihil disseruisse, quatenus diversæ sint eorum affectiones & operationes, pro concoctione vel facilitanda vel retardanda. Cibos imprimis concoctu faciliores & contra, eo ordine referemus, ut in ipso Auctoris ANDRÆ SPARMANNI Sundhets Spegel/ (A) Svetico idiomate verba expressa habentur, ita enim ille: Utaf den Spijs som

i wår Kroppz substanz förwandlas/ och  
 gifwer god Födzell/ så är Wålbatat  
 Bröd/ Sdöt Mandell/ Fikon/ Lactuc/  
 Spinet/ unge Höns/ färste Hönsägg/  
 Cavuner/ Kalckoner/ Phasaner/ Rapp-  
 höns/ Kramsfoglar/ Järpar/ och andre  
 små Foglar/ som sig på bergachtige orter  
 uppehålla. Item ungt Stute-Swijne-  
 och Fårekött/ Fisk med Fiell/ som tages  
 i flytande watern/ beshinnerligen uår han  
 kokas med halsparten Wijn och Watern/  
 och med Specerii tilredes.

Cibi vero concoctu difficiliores, nu-  
 trimentum sanguinemque gignentes  
 crassiores, ut prædictus Auctor habet,  
 sunt uidelicet: Gammalt Ore-Koo-och  
 Swijnekött/ Bocke-Gete-och Hiorte-  
 kött/ måst alla Watufoglar med sine  
 äga. Item Store Foglar som hafwa  
 groft kött/ såsom Liadrar/etc. Allehanda  
 Slaaz grof och stoor Fisk/ såsom Lax/  
 Stör etc. Ähl och andre som hafwa en  
 fetachtig stymmigheet med sig: Så och  
 Ostror/ Muslor/ Kråfwetor/ med min-  
 dre the icke synnerligen tilredde warda/  
 Lätt



Lår - Rødt - och Insaltat Fisk och Rött/  
 Gammal Ost/ Bröd som icke wäl jäst  
 är / Omogen Frucht / måstedelen pläckt  
 Fruchter / och Gräs som brukas til Kåhl/  
 förutan de som här för upräknade äre;  
 Haftenus ille. Laudat Cicero Epicu-  
 rum, qui cibo utebatur svavissimo & fa-  
 cillimo ad concoquendum; simplicem-  
 que cibum homini utilissimum esse di-  
 cit Plinius (B). Et quoniam concoctio  
 est divisio partium, patet res quæ ar-  
 ctissime cohærent, difficiliori modo con-  
 coqui. Diversa ratio est alimentorum  
 minus arcte inter se cohærentium.

Potus vero (quem una ad corporis  
 nostri sustentationem habemus) sum-  
 mam esse necessitatem, arguit non tan-  
 tum intolerabilis molestia & infirmitas,  
 quam ex siti vehementiore & longiore  
 sentimus, sed quod alimenta solidiora  
 sine liquidis nec commode digeri, nec  
 dispensari valeant: (C) Potulentorum  
 genera, uti notum, sunt varia, ut Vi-  
 num, Cerevisia, Aqua &c. Vina vero,  
 prout ex variis terris adferuntur, varia

quoque ostendunt Phænomena. Sunt tamen hæc aquis & cerevisiis &c. modice sumpta præstantiora; Quippe magis spirituosæ, refocillationem viresque tribuunt corpori mirum in modum.

*Vina, igitur, bibant homines, animantia  
cætera fontes,  
Absit ab humano pectore potus aquæ.*

(A) *Ithen andra delens 2. Regula omni  
Epijsens qualitet pag. 250. & 251. (B) Pli-  
nius lib. II. cap. 53. (C) Johannes Bohnius  
Circ. Anat. Phys. Progym: 8. pag. 129.*

### §. III.

**V**erum hic ne longius abeamus, re-  
vocat nos dictorum ratio, ut jam  
in ea, quæ ad præparationem & con-  
coctionem alimentorum spectant, in-  
quiramus. Incipiendum ergo ab ipsa  
**INGESTIONE** cibi in os, *Ore enim  
cibum capimus, sputum ejicimus, hinc conco-  
dum est, ut & capere possit cibos & continere,  
ipsum etiam aerem admittere & emittere.* (D)  
Num vero liquida solidis, an solida liqui-  
dis

dis præmittenda, ad consuetudinem & naturam uniuscujusque imprimis attendendum. Illi tamen, quibus dura est alvus liquida præmittant, qui vero alvum habent liquidam, durum & solidiorem cibum omnium primo capeissent; Quia hæc stipant inferius orificium ventriculi, ut cibus retineatur, atque sic Chylus per fermentationem acrior fit. Acredo autem adstringit. In genere tamen consultum est, ut omnes primo, jusculis edendis advescant; Liquida enim vias aperiunt, per quas transibit Chylus.

(D) *Job. Sperl. Phys. Anthropolog. p. m. 634.*

§. IV.

**I**NGESTIONEM proxime sequitur MASTICATIO, quæ modo fit Mechanico, ope videlicet nervorum constringentium superiorem & inferiorem maxillam, ut & muscutorum, linguæ, labiorum & dentium auxilio. Comminuunt vero dentes *Incidendo, Frangendo, ac Conquassando.* Incisioni interserviunt dentes

tes priores, ideo *incisores* appellati. *Cani-*  
*nini* reliquis paulo longiores, confrin-  
 gendis durioribus cibis famulantur.  
*Molares* postremum occupant locum, &  
 molæ instar, inquit Sperlingius (E) in  
 minimas partes dividunt cibum. Est au-  
 tem *Masticatio* operatio, quæ debet præ-  
 cedere concoctionem ventriculi, & est  
 valde necessaria, hinc propter multipli-  
 cem usum masticationis, non inepte Ara-  
 bes illos animam suam, odisse dixerunt,  
 qui masticationem negligunt. (F) Dis-  
 secantur vero omnia & in minores par-  
 tes resolvuntur, in eum maxime finem,  
 ut concoctio facilius fiat in stomacho.  
 Wij kunna intet swälja Oxen heel ofo-  
 kad/ som en Tiggiare för Prag tilböd sig  
 at gödra/ hwilcken jämnwähl wille äta  
 up ett heelt Swijn med hull och håår.  
 Och när han fick see en Karl/ som wille  
 förråda Staden/ bad han at få äta up  
 honom/förutan Wårjan och Spårarna.  
*Peccant ergo Ethice & Physice*, inquit Sper-  
 lingius (G) *qui ob voracitatem integros*  
 fer-

ferme cibos deglutiunt; Ventriculo enim materiam nondum preparatam committunt, sibi que ipsi morbos, symptomata, mortemque prematuram accersunt.

(E) Sperl. *Phys. Anth.* p. 351. (F) Bohnius *Anatom. Phys.* pag. 133. (G) *Phys. Anthropolog.* p. m. 381.

§. V.

AD Masticationem plurimum confert SALIVA, quæ ex particulis variis, utpote aqueis, falsis & acidis &c. composita est, & prodit ex glandulis salivaribus inter dentes, genas & palatum &c. dispersis, quippe eandem pro libitu ex ipsis glandulis, quis si experiri velit, prolicere atque expellere potest. Eadem particule ait Benjamin Broeckhuysen, (H) *Simul collatae, dentium vel linguæ ope, cibos perforare, incidere, sive secundum minores particulas & majores superficies reddere possunt. Ratione ergo hujus texture intrinsecæ, verba sunt Bohnii, (I) i. e. per aquositatem ac saluginem suam, vincula masticatorum laxat,*



adeoque pariter pro accuratioris saporum dignitate laborat. Hinc Saliva primum principium agens a Physiologis appellatur.

(H) *Oeconom. Animal. Articuli. 41. p.m. 47.*

(I) *in Circul. Anatom. Physiolog. p. 134.*

§. VI.

**E**x Masticatione ad DEGLUTIONEM progredimur, quæ æquè fit Mechanice, videlicet per Oesophagum juxta Epiglottida. Inserviunt Deglutioni Lingua & ipsa Saliva cibis permixta, nec non spiritus animales, qui in musculos invehuntur Laringis. Larinx dicitur supremum Gutturis; Guttur autem ante Oesophagum est, exquisitissimam habens sensationem. In Deglutione Oesophagus sese expandit a parte superiori ad accipiendum cibum, si vero cibus diutius, quam par est, ibi detinetur, spiritus ægre meare potest. Epiglottis dicitur ponticulus iste qui regit asperam arteriam; Och öfwer den skall all Maat gå som man swälger neder.

§. VII.



§. VII.

Postquam jam cibus potusque ventriculi cavum subintravere, hujus Tunicae carneae diversi ordinis fibræ, ut antea dictum est, sese contrahunt, ut instar plicatae crumenæ globulum continentis, cibū undiquaq; complectatur ventriculus. *Coarctantur simul dicit Charleton (K) utrumq; ejus orificia; Superius quidem ne ad cerebrum effument vapores; Inferius autem ne cibus in Chylum probe nondum conversus, ad intestina immaturius delabatur.* Quod vero orificia ejus non claudantur omnimode, rationibus quamplurimis confirmat Bohnius, quarum recensitionibus immorari, vetat pagellarum angustia. Inferius tamen orificium superiori, minus arcte ac firmiter occludi, experimento probat Charleton, factō nimirum in vicinia foramine, immissoque digito stylo. Accingente autem sese ventriculo ad concoctionis munus obeundum, cibus statim emolliri ac dilui incipit, partim

Salivæ, partim potus, partim alius  
cujusdam succi, in ventriculo reper-  
ti, beneficio.

(K) *Gualterus Charleton exercit: Physf.  
Anat. de Oecon: animal. pag. 16.*

### §. VIII.

**F**ACTA hac pro emolliendis cibis made-  
factione, FOTUS SIVE CALOR circum-  
jacentium partium deinceps coctionem  
mirifice promovet, sunt vero illæ partes  
Lien, Hepar, Pancreas & Mesenterium.  
Hæc viscera Galenus (L) vocat quasi  
foculos quosdam igniarios; *Earum quip-  
pe partium particula*, inquit Benjamin  
Broeckenhuylen, *celeriter & vario motu ad-  
acta, cum per poros ventriculi, foris introspe-  
ctantes, indefinenter pelluntur, non possunt non  
suo impulsu excitare fermentationem, qua to-  
tum hoc negotium perficitur.* (M) Est quoque  
OMENTI regentis interiorem ventri-  
culi partem, non minimus usus, illud  
enim innatum ventriculi calorem con-  
clusum tenet, ne calori facilis evolandi  
spa-

spatium detur. Neque vero censendum est cibum simul & semel, agitante calore in stomacho liqvescere, nec inter semisceri partes seu pisa in olla, sed externæ partes ciborum, & proximæ ventriculi lateribus, prius liqvescunt; Quod videndum est in canibus, paulo ante eorum Anatomiam, pastis.

(L) *Lib. 14. de usu part. cap. 8.* (M) *Oeconom. animal. pag. 49.*

§. IX.

**U**T autem Ventriculus tanto facilius assumpta miscere & expellere valeat, opus habet motu quodam comprimente & conqvassante, qui ventriculo donatus, **PERISTALTICI** etiam nomine venit a Medicis, ventriculum *ope fibrarum re-ctarum & transversarum, comprimi ac dilatari comperientibus.* (N) Appellatur præterea a Blancardo (O) motus vermicularis, quod instar vermium intestina sese contrahant. Juvant vero hunc motum in intestinis factum, valvulæ conniven-

tes, item compressio Abdominis. Neque est ut Medicos antiquos, hunc ignorasse motum existimemus, illum enim Erasistratus (P) περισολήν, Galenus περιελατικήν ενέργειαν (Q) & Carolus Stephanus naturalem vocavit. (R) Alii facultatem expultricem nuncuparunt, ac procul dubio ob causam, quod non tantum ad secretionem utilium, sed & inutilium, utpote fæcum excretionem per anum, conferre videtur.

(N) Thomas Barth. Anat. lib: 1. cap. 9.

(O) Lex. Med. (P) Apud Galenum de facult. natural: lib. 3. cap. 4. (Q) Comment. in lib. 6. Hip. Epidem. pag. 533. thes. 9.

(R) de dissect. part. corp.

§. X.

Cum vero SPIRITUS ANIMALES sentiendi & movendi vim toti corpori tribuant, etiam Motum Peristalticum quam maxime promovent, Ita ut ratione hujus principii moventis, inquit Bob-

Bohnius : (S) *etiam utique omnis motus partium solidarum, in animalibus observabilis, animalis dici queat ac debeat.* Hic pro varietate partium, quibus communicatur, nunc utrumque, nunc alterutrum agit. (T) Juvant moderata quies & mediocre exercitium, non solum sanguinis circulationem, verum etiam faciliorem Chyli distributionem. Tribuunt etiam tantum ut Spiritus animales in continuo sint vigore; Si vero secus e-  
venerit, audiendum est illud Ovidii :

..... Ignarum corrumpunt  
osia corpus.

(S) *Circul. Anat. Phys. de motu animal.*  
p. 451. (T) *Sperl. Phys. Anthrop. p. m. 513.*

§. XI.

**H**isce motibus excitatis, ipsa FER-  
MENTATIO quoque incitatur, quæ  
dividit ac separat particulas, ut melius  
fieri possit concoctio. Sic ex Prisana  
contusa non potest fieri vinum combu-  
stum



stum, vel ex farina cujuscunque generis sit, panis, antequam fermententur. Neque illi possunt elici spiritus ab ejusmodi materia, nisi præmissa fermentatione. Hanc Philosophi & Chymici humorem vocant, qui resolvendi potentiam habet quasvis res ingestas, & quantum in se est, in suam naturam convertere. Sic si parum aceti vino infundas, totum vinum acescit. Och en lichten Suurdeeg försyrar hela Degen. Hoc fermentum acidum esse, probat Thomas Villis Medicus Oxoniensis (U) dicit enim: *Chyli in ventriculo coctionem, ratione fermenti cujusdam acidi fieri, vulgo receptum est; Et paulo post: Non improbabile videtur, hoc fermentum ventriculo implantari, ut sit tanquam Chyli confecti residuum, quod plicis ventriculi infigatur, ibidemque acescens, fermenti naturam induat, non secus ac portio massæ frumentaceæ fermentata, Et ad acorem servata, pro conficiendo pane fermentum satis idoneum evadit. Pariter hujusmodi humor acidus ex*

ali-



alimenti paratus, & in ventriculo diu congestus, alimenti coctionem & subactionem promodet: Acida enim quae sale ad fluorem evecto, refertissima sunt, corporibus tum fermentandis, tum dissolvendis optime conducunt; quare hujus actione, sal & sulphur, quibus esculenta abunde scatent, in ventriculo confringuntur & in partes minutas rediguntur. Haecenus Villis. Acidum hoc fermentum esse annotavit etiam Sennertus, (V) dicens in ventriculo reperiri humorem acidum, ingenitum & connatum (loquitur de fermento) quem relicta cibi portio bene elaborata auget & fovet, qui non est crassus sed tenuis, &c. Hippocrati (X) quoque acidum dicitur hoc ipsum fermentum; Verum non negandum, praeter hasce particulas acidas etiam in fermento esse Alcalinarum, oleolarum, acido-volatilium aliarumque plurimarum particularum congeriem, cum illud fermentum sit menstruum quoddam universale solvens. Ad FERMENTATIONEM itaque requiritur 1. *Aether* seu materia subtilis. 2. *Pororum* & *figu-*

*variam diversitas*, in iis rebus quæ invicem fermentari debent. *Generant præterea fermentum Sal, Potus, Saliva, Glandula ventriculi, Reliquiæ ciborum in ventriculo, &c.* Quare autem fermentum non digerat ventriculum ratio est: Quod 1. Tunica Villosa illud fermentum, instar sacci lana repleti & ad murum applicati, qui globulo emisso non cedit. 2. Alia est textura rerum ingerendarum & ipsius Ventriculi. Fit autem fermentum illud Catholicum pro natura & constitutione uniuscujusque. Sic Gallorum, Hispanorum & Batavorum, &c. palato non arrident ista fercula, quæ Lappones & Finnones nostri apprimè delectantur. Fermentum autem quamdiu in ea est temperatura, quæ corpori nostro convenit, tamdiu bene ipsa quoque digeruntur alimenta.

§.

(U) *Diatrib. Med. Phil. de Ferment.*  
 pag. 26. & 27. (V) *Lib. 3. Med. Pract.*  
 pag. 1. §. 2. cap. 5. quæst. 1. (X) *Secl. 6.*  
*Aphorif. 1.*

§. XII.

**P**erfecta Fermentatione, tota mixtura tenuissimi liquoris in intestina delabitur, qui albidi cujusdam tenuiorisque hordei cremoris vel pulmenti consistentiam æmulatur. Hunc succum Medici & Philolophi Chymi nomine communiter insigniunt. Postquam vero vas lactea pertransiit, tunc demum CHYLUM appellant. De colore ipsius Chyli magna est controversia inter Physiologos, an semper lacteus is sit, aut an non potius assumptorum tincturam interdum præ se ferat? Respondet Bohnius (Y) ad ea quæ objici solent in hunc modum: *Chylus tamen perfectior & a crassamentis ac fœculentiis liberatus, semper albicans conspicitur intra vase lactea, perinde ac tinctura vegetabilium turbide ac erasse, post filtrationem demum, aut similem separandi rationem, diaphaneitatem congruam recipiunt.* Ipsam vero albedinem Chyli provenire ex sulphure & sale alimentorum volatili acido ventriculi com-

binata, auguratur Villifius; Bohnius vero rem haudquaquam in dubium vocans, firmiter asserit eam esse a substantia alimentorum oleosa & aquea. Verba ipsius ita jacent: *Verosimilius est, eo ipso dum menstruum digestum mucilaginosum & oleosum vegetabilium ac animalium substantia, tanquam alibili, impregnatur, hanc semper eandem lymphæ pelluciditatem aqueam in lacteam albedinem commutare, donec illa deposita, pristinam diaphaneitatem recuperet solvens.* (Z)

Nostrum non est diremisse hanc litteram, potius tamen, si dicendum erit, Bohnio credimus. Quod vero ad temporis spatium attinet, quo Chylificationis opus integre absolvitur, sciendum est nihil certi posse determinari, cum pro varietate temperamentorum, etiam ciborum assumptorum, tum quantitatis tum qualitatis respectu, aliarumque circumstantiarum ratione, haud exigua in eo observetur diversitas. Nam ut hæc in specie attingam, quibusdam hominibus adeo vegetus atque robustus

ob-



obtingit ventriculus, ut intra 4 aut 5 ad maximum horarum spatium, concoctionis munus rite peregerit; dum aliis contra tantæ debilitatis sit, ut 8 vel 10 imo aliquando 13 horas eidem muneri incumbat. In genere tamen & ut plurimum, verba sunt Cl. Bohnii, Chylificatio intra 6 vel 7 absolvitur horas, citius quidem in vigilantibus, quam dormientibus. Quidquid sit, ipsamet tamen natura dicit Charleton (A) *Nobis certissimum indidit indicium, quo singulis absoluta jam in ventriculo concoctionis tempus clare innotescat; idque inanitionis est sensus, & ad querendum novum cibum appetitus.* Expellitur vero Chylus in intestina 1. ope fibrarum per inferius orificium ventriculi. 2. Huc facit motus intestinorum & Diaphragmatis. 3. Exprimitur insuper beneficio musculorum Abdominis. Intestina sunt tubuli quidam continui, a ventriculo procedentes usque ad foramen excretorium. Elapso Chylo in intestina, Fel in ipso HEPATE contentum, atque ope musculorum Abdominis &

reliqvarum partium adjacentium levi-  
ter detrusum, excipit eum, atque se-  
cernit utilia ab inutilibus. Quæ vero  
portio Chyli, ad sanguinis generatio-  
nem destinata est, per vasa lactea pri-  
mi & secundi generis, fertur ad ipsum  
Cor, & deinde ad arterias & venas, & sic  
consequenter ad peripheriam totius cor-  
poris; Cætera utpote fæces, per intesti-  
na ad anum propelluntur.

(Y) *Circul. Anatom. Phys. Progymn.*  
10. p. m. 156. & 157. (Z) *Circul. A-*  
*nat. prædicto loco.* (A) *Excercit.*  
*Phys. Pract. de Oeconom. animali. p. 30.*

### §. XIII.

**H**ÆC sunt CAND. LECTOR, quæ præci-  
puè circa concoctionis modum, pro  
temporis & pagellarum angustia, nobis  
tanquam per transfennam spectare, con-  
rigit; Esset quidem ulterius occasio dis-  
ferendi de Galaxia seu itinere Chyli,  
de Sangvificatione & circulatione san-  
guinis, de Depuratione ejusdem, ut  
& distributione succi nutritii per ner-  
vos,



vos, verum enimvero cum hæc longe  
 discrepent a nostro proposito, extraque  
 Chorum, ut ajunt, saltare nefas ha-  
 beatur; Nobis itaq; tenuitatem nostram  
 ingenue fatentibus, longioribus tibiis  
 canere nec lubet neque  
 licet.

**SOLI DEO GLORIA.**

---

*In elegantissimam*

**DE CONCOCTIONE VENTRICULI**

*Dissertationem,*

*Clarissimi Candidati*

**DN. SAMUELIS DYCANDRI,**

*Fautoris Aestimatifsimi.*

**E**st labor Herculeus fatis qui major habetur  
*Sudare in castris, jugiter Aoniis,  
 Hac tibi castra placent suavissime amici*

**DYCANDER,**

*Nam placuit doctâ delineasse manus  
 Mirov ventriculi Maandros atque recessus,  
 Hinc Lauro cinget Turba novena comas.  
 Vive diu felix, Rex calis vota secundet!  
 Carminibus vives tempus in omne meis.*

*Sinceri amoris declarandi gratia, festinan-  
 ti calamo gratulabundus accinebam*

**JOHANNES PLOGMAN, Wib. Carel.**

*Clarissimo* DN. CANDIDATO.

Qui ad summos sapientiæ honores adscendere cupit, is multas lucubrations studiis impendere necesse habet, si aliàs diligentia suã in Musarum adyta penetrare velit. Hoc ipsum a tenera ætate Clarissime DN. CANDIDATE, egregio Tuo conatu, & dissertatione perdocta de CONCOCTIONE VENTRICULI Te fecisse demonstras, dum eximii ingenii Tui vires in tam sublimi materia publice ostendere cogitas; Gratulor itaq; ex animo exantlatos labores, vovens velit supremum Numen, Te, qui cepisti ingredi gloriæ viam, & Laurea dignum Te præstitisti, intromittere Tua post fata in templum felicitatis æternæ! Vale.

*Hoc Faustæ acclamationis ergo apposuit*

JORDAN LAVONIUS, Wib. Car.

**I**mpiger Herophili qui mira palatia lustras,  
Ils jam jam pateat, clausa culina Tibi,  
Tu dapibus fruere, Tu Nectareoq; liquore,  
Est lautis satis hac, mensa parata cibus.

In honorem Cl. Dn. Cand. & Institutoris  
sui omnium exoptatissimi scripsit  
SAM. REUTER, EMMAN. FIL.  
Tavastensis.

